



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XXVII. Deum hac eadem animaduersione in cæteros peccatores vti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

dientiamque eidem Euangelio non
præstarent.

*Deum hac eadem animadversione in ce-
teros peccatores uti.*

C A P. XXVII.

Hanc pœnam, quam Deus ante le-
gem Caino, & Pharaoni, & tem-
pore legis populo Israël, & post re-
demptionem Gentilibus, ac Iudæis,
qui in suâ infidelitate manserunt, in-
flixit, exercet quotidie in innumeros
Christianos, quibus ob ingentia eo-
rum peccata, efficacia, & superabun-
dantia auxilia negat; quemadmodum
significavit Angelus, quem S. Ioannes
vidit, in personâ Dei dicens: *a* *Qui
nocet, noceat adhuc: & qui in peccato-
rum sordibus est, sordescat in ijs, alijsque
peioribus adhuc.* Quasi dicat: Ego eum
liberum relinquo, permittoque, ut
peccet; nec id superabundantibus, &
efficacibus favoribus, quos ei dare
pos-

a Apoc. 22. 11.

possem, impedire volo. Hac de causa
 magni peccatores vocantur in Sacra
 Scripturâ *a domus deserta, habitatio
 derelicta, & ciuitates desolata*, quia su-
 perabundantibus Dei fauoribus desti-
 tuuntur. Ita declarat Sanctus Grego-
 rius, dicens: *b Ciuitates desolate, &
 domus deserte rectè peccatorum animas
 nominantur, quia nisi omnipotens Deus
 talium conuersationes, cogitationesq; pre-
 sedentibus eorum culpis relinqueret, ad
 grauiora perpetranda minimè peruenirēt.*
 O quàm terribilis hæc Dei poena est, &
 quàm horrendus peccati mortalis ef-
 fectus, quòd facit, vt fauores diuini
 amittantur, vtque Deus animas dese-
 rat, & spiritualia sua auxilia ipsis ne-
 get! Hoc est Deum magnâ ex parte
 priuare hominem suâ misericordiâ; si-
 quidem communicare ei superabun-
 dantes fauores, valde magna, valde-
 que suavis misericordia est, & eosdem
 illi propter ipsius peccata negare, est
 eum

a *Is. 5. 9. ler.* b *D. Gregor. l. 12. mor.*
 cap. 23.

eum hac magnâ, & suavi misericordiâ
priuare. Atq; hoc est Deum relinquere
hominem in permagno, manifestoque
periculo moriendi in mortali pecca-
to; nam si ei hos superabundantes fa-
uores neget, manet anima admodum
languida, ac debilitata, sicque diffi-
lius illi accidit peccata, quæ amat, re-
linquere, seque in labore virtutum,
quas timet, & horret, exercere; ideo-
que ordinariè est in peccatis, donec
in eis moriatur. Si enim homo mul-
tos fauores superabundantes à Deo
habens, tantâ in agendâ de peccatis
suis verâ pœnitentiâ, vitâque suâ per-
seueranter emendandâ difficultatem
sentit, vt multi illam non agant, &
damnentur; quantò magis hisce fauo-
ribus priuato accidet difficilis, & ar-
dua bona vita, ipseque hac difficulta-
te victus manebit in suis peccatis, ijs-
que immoriatur? Rem hanc exemplis
quibusdam confirmemus. *a* Narrat

Vene-

a Beda in histor. Martyr.

Venerabilis Beda in prouinciâ Bernicia virum quendam, Monasterij alii cuius seruum, licet ex vnâ parte bona opera faceret, ex alterâ tamen negligentem, & socordem, in multa mortalia peccata incidisse. Ac Deum quidem primùm multâ in eum misericordiâ vsũ fuisse, mouendo suos seruos, qui ipsum de peccatis suis corrigerent; sed hac illum misericordiâ, favoreque Dei neglecto, in malâ vitâ suâ perseuerâsse, vnde à Deo fuisse desertum, donec morbo opprimeretur, & cum morti esset vicinus, moestissimo vultu Religiosis, qui aderant, dixisse iam se infernum apertum, sibi que præparatum locum videre; & cum non possent ei persuadere, vt poenitentiam de peccatis suis ageret, absque hac mortuum, & damnatum esse. a Præbendarius quidam, nomine Gedeon, inquit Sanctus Bonaventura, lubricus, & mundanus, infirmitate graui correptus, ad Sanctum Franciscum delatus est, vt ab

a D. Bonau. in vitâ D. Franc. c. 11.

eo sanaretur. Sanavit illum Sanctus, monuitque, *ne ad vomitum rediret*. Fuerunt hi valde speciales, ac superabundantes fauores, quos Deus isti homini exhibuit, immittere ei morbum, quo ad pœnitentiam moueretur, sanare eum per miraculum, & à Sancto cum tantâ charitate moueri, vt in sanctâ vitâ perseveraret. Verùm miser nihil ex his fauoribus profecit, & Deus illum deseruit: paulò enim post *corpus impudicitie reddidit*, & cum nocte quadam in suâ malâ vitâ dormiret, subitâ ruinâ tecti domûs oppressus, & ad infernum deturbatus est, nullo ei ad mutantam vitam tempore relicto. Quod istis contingit, contingit quotidie innumeris peccatoribus, quibus Deus propter ipsorum peccata aufert fauores superabundantes, quibus non vtuntur, & sic in peccatis suis manent, in ijsque moriuntur. Et impletur in his talibus, quod Iob ait: *a Usq; ad sepulturam peccatum illius durabit*, quia in

eo

a Iob 24, 19.

eo morietur, atque damnabitur: obliuiscetur eius misericordia Dei, qui non liberabit eum in æternum à penâ, & captiuitate infernali. Quis non timeat, non oderit peccatum mortale, quod tantum dat damnum? Vnum supernaturale Dei auxilium, vna specialis misericordia, quæ homini ad salutem conducit, est incomparabilis pretij, valetque plus, quàm totus hic visibilis mundus. Fugiamus igitur mortale peccatum, quod tantis nos fauoribus, ac misericordijs priuat, & exerceamus virtutes humilitatis, patientiæ, obedientiæ, nec non opera charitatis, & misericordiæ, quibus augebuntur in nobis hæc superabundantia auxilia, & hæc speciales Dei misericordiæ, facientque nos in illâ perseverare, & crescere, donec per mortem ad æternam vitam transeamus. Certum enim est, sicut Deus propter peccatum mortale auxilia superabundantia negat, sic ea propter bonam vitam, sanctaque opera multiplicare, & auge-

augere; quemadmodum declaravit
Christus, quando dixit, seruo fideli,
qui quinque talentis alia quinque lu-
cratus erat, Deum dedisse talentum il-
lius, qui id absconderat, non negotians
cum eo, nec quicquam lucrans; addi-
ditque huius rationem, dicens: *a Om-
ni enim habenti, plus dabitur, & abun-
dabit: ei autem qui non habet, & quod vi-
detur habere, auferetur ab eo.* Quasi di-
ceret, qui Dei favoribus, ac donis bene-
volutus non fuerit, huic eundem Deum
illa ablaturum, & qui ijs ritè fuerit v-
susus, huic aucturum illa, futurumque
vt crescens in gratiæ bonis, etiam
in bonis æternæ gloriæ
crescat.

a Matth. 25. 29.



Per